

notandum est; quod duplex quoque sit natura felicitatis, id quod aliàs ab Aristotele quoque traditum est; Felicitatem. sc. aliam esse θεωρητικὴν contemplativam, quæ intellectus est actio; aliam πρακτικὴν, quæ actio est secundum virtutem moralem facultatis appetentis. Atque sic definitio hæc non de politica tantum felicitate, sed etiam contemplativa in genere intelligi potest.

XXXVIII. Adjiciuntur 2. loco differentiarum: Secundum virtutem perfectissimam. Cum enim Beatitudo sit perfectissimum bonum l. c. ad perfectissimam etiam ut restringatur virtutem, necesse est.

XXXIX. Per hanc autem interpretes intelligunt non modò illam, quæ complexu suo omnes alias virtutes morales continet, videlicet justitiam universalem: verum etiam Sapientiam, quæ est optima inter intellectuales, ita ut simul hæc ipsa virtute respiciatur ad duplicem felicitatem.

XL. 3. differentia est: In vita perfecta. Licet hinc nonnulli intelligant vitam talem, quæ bonis fortunæ omnibus affluit, nos tamen per vitam perfectam intelligimus 1. Constantiam, & perpetuitatem virtutis. 2. Aetatem maturam.

XLI. Quia in ætate puerili nondum est confirmatum judicium, atque ideò etiam pueri non sunt idonei ad virtutum actiones obeundas, ad quas requiritur rectum judicium, certa voluntas, & firma Electio.

XLII. Ex his apparet 1. Etsi à DEO tanquam fonte & largitore etiam minimorum bonorum felicitas humana rectè oriri censetur; Eam tamen industria etiam & exercitatione comparari, non autè à fortuna dependere.

XLIII. 2. Sequitur etiam hinc, neque bruta, neque pueros S. hujus Boni participes esse; sed hominem perfectæ ætatis, qui appetitum rectæ rationis jussis submittit, felicem fieri posse 1. Eth. c. 9.

Nihil